



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Adamvs I. Abbas Heremitarvm XXXVII. Princeps Imperii Decimvs Nonvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



ADAMVS I. AB-
BAS HEREMITARVM

XXXVII. PRINCEPS IMPE-
RII DECIMVS NONVS.

AVCTVM, & opulentum, omnibusque rebus, quæcumq; siue ad necessitatem, aut etiam decus, et splendorem pertinere videbatur, instructum, & florens, magnificumque monasterium Adamus suscepit, conseruauitq; quantum humanæ vires potuerunt. Vbi non amplius præualuerunt, & primo ingens domicalamitas inuasit, postetiam ab aduocatis odium res aduersas comitari solitum impulit, ita fortunæ cessit, vt numquam victricem agnouerit, aut postea timuerit. Nono regiminis anno, Christi Domini nostri Septuagesimo septimo, post mil-

lesimum,

lesimum, & quingentesimum, viii. Kal. Mal. feria v. circiter meridiem ortum ex fornace tegularia incēdium paucissimis horis non modo vicum vniuersum, sed etiam Monasterium absumsit, solo Sacello Virgineo, & vtraque Basilica referuat, & paucis admodū è sacra supellectile ornamentis, & omnibus tamen sacris relliquijs. De tantæ cladis auctore dubitantibus diu suspicio in tegulario hæsit, alias Tigurino, & sub ipsum statim incendium profugo. Postea Rhineci, & Pfullduri capitali supplicio adfecti homines sceleratissimi, tam infame, & impium facinus in se transfudere, accepta ab Capiteano Stoerero Bischoffcellensi homine hæretico, & omnibus bonis infesto, pecunia, eam operam pollicitos, ausosque, abstrusis secreto per vici plures domos ignium fomentis, qui ex tegularia deinde flammis excitatis, in vicum vniuersum, & monasterium spargerentur, & vtrumque funditus abolerent. Sed idem quoque Stoererus suæ impietatis, & scelerum breui pariter pœnas exsoluit. Curia enim Rhetorum vstulatus paullo post & ferro laceratus, fractis artubus, rotæ incubuit. Absumto, eo quo diximus modo, Monasterio, & omni supellectile, officiales & monachi triduum proximum in vicinis S. Gangolfo mapalibus delituere; postea hi, præter Parochum, & Custodem Feficonem transfati in Sacello arcis diuina officia continuauerunt. Aduenerunt subinde è propinquis Communitatibus, vrbibus, & opidis qui non modo cladem commiserarentur, sed etiam subsidia adportarent. In primis fuit Suitensis Communitatis nomine Christophorus Schornerus Officialis postridie incendij D. Marco Euangelistæ dicato. Eodem quoque die Tigurinæ reipubl. legati adfuerunt Ioannes Keller, et Conradus Dentzler, qui simul frumenti modios ducentos aduexerunt, haut contemnendum, & pernecessarium egestatis tantæ, et tam inopinatæ leuamentum. Postea aliæ pleræque omnes (exceptis Bernensibus) Heluetiæ ciuitates, vrbes, opida, Comitatus, Respublicæ, municipia, Abbates, Præpositi, Antistitæ, Regum, & Principum legati, maximus ad hos priuatorum numerus vtriusque ordinis, et sexus, qui tanta in

calamitate suam & erga DEIPARAM deuotionem, & nostrum Monasterium adfectum factis, & operibus patefecerunt, adprobaruntque. Supellectilem sacram, profanamque, quæ hoc incendio in cineres abiit, aut in rudem materiam redijt, longum esset enumerare, et perdifficile. Campanæ decem defluerunt, vnica parua superstite; quæ conflagrante summa turri Sacelli Virginei in fornicem basilicæ concidit, magis miraculo, quam fortuito sonorem illæsum conseruauit. Vtraque in sacrorum utensilium Custodia, Sacristiam vocant, infinita ornamentorum, et vestium sacrum copia exusta, paucaque admodum flammarum voraginem euaserunt, alijs in locis retenta, aut magna festinatione, per medios ignes æquali periculo erepta, et in tutum sublata. Quæ damna etsi grauisima, et penè incredibilia, tolerabilia tamen, quando piorum, et DEIPARÆ maximè cultorum liberalitas, et magnificentia, munificentiaque eo se deinceps prouexit in ornamentorum, et utensilium sacrorum copiam, et abundantiam omni genere, varietate, elegantia, apparatu, et precio, vt in incertum habeant multi, an plura, et meliora præterita, et cinefacta esse potuerint. Bibliothecæ damnum irreparabile est: corruptis, aut penitus absumtis pulcherrimis nobilissimorum scriptorum exemplaribus, tantæ, et tam exquisitæ, et eousque summa cura deductæ, et propagatæ antiquitatis memoria simul postremo cum hoc incendio extincta, et omnibus prope prisce eruditionis, studij, et diligentia, et disciplina monumentis, vno pene momento, in miserabiles cineres dispersis, et collapsis. Ceterum abbas Adamus, accepta intra paucos dies in subsidium haut poenitenda pecunia, & concurrentibus vndique operarijs, tamquam ad præsentaneum lucrum, animum ad fabricandum extremo applicauit, breuique vtramque basilicam contexit, campanasque decem fudit quæ turribus imponerentur, diuinæ rei vtrumque restituendæ, & continuandæ. Hinc Monasterij muros in quadrum directos accelerauit, & pauca interius habitacula in vsum tum quidem fabricantium, mox monachorum,

postremo

postremo alia magis necessaria domesticis, & ministerialibus. Interea similtas cum Suiijs oborta eo processit, vt Monasterio, auctoritate Ioānis Francisci Bonhomij Episcopi Vercellensis, Sedis Apostolicæ Nuncij, interim relicto, in S. Geroldi Præposituram secesserit, A. D. N. Millefimo, Quingentesimo, Septuagesimo nono, substituto Curatore Vldarico Vveitvillero Decano. Mansit eo modo apud S. Geroldum ad sextum vsq; annum, veluti patientia euiçturus Aduocatorum in se conceptam malevolētiam, & si tanto temporis decursu saltem mitigarentur. Cum id frustra euenisset, postremo abire magistratu planissime decreuit. Non deerant qui id dissuaderent amici, dicerentque haut temere faciendum esse, iuribus, & libertati Monasterij præiudicare, rem in exemplum posse trahi, aduersæ parti ausum, & animum dari, augeri que simile quippiam in successoribus attentandi: paucos aliquos esse qui incesserent, reliquos magis veluti contagione trahi, quam voluntate. Iure potius ageret, non defuturam meliorum partem, alia adferre, prout cuiusque adfectus, aut iudicium. Ille contra obniti, nihil sibi grauius hoc ipso onere semper visum, disciplinam in regimine ancipiti laxari, similtatem præsentia, & perseuerantia increfcere, rem perire, dum partes fieri, aut alia necesse sit. Quæ tempore, consilio, arte frustra corrigere conatus sis, prudentiæ esse si suo tandem cursu labi patiari, cedasque malignitatis, & scandali causa, & respectu periculi maioris, sumtuumque grauiorum. Postremo quietis, & vitæ priuatæ cupidinem apud se prævalere. Neque tamen propterea libertati Monasterij, aut iuribus, hoc suo facto, præiudicatū arbitrari, cum non coacte, & vi subactus, sed vltro, sed sponte, & libere, more plurium suorum antecessorum, dignitate, & officio ab eat. Abbatiam igitur, & cetera sollennia Adamus in manus Capituli plane, & plene resignauit A. D. N. lxxv. supra c. d. referuata sibi S. Geroldi Præpositura, quam ad annum vsque c. d. c. x. qui ei fatalis fuit, haut inferiori laude, etsi impare dignitate, tenuit. Obijt eodem anno, iv. Mal, plenus dierum; Nam quinquaginta duobus annis

sacerdo-

facerdotio venerabiliter functus est, vt Lupus ille Trecentis episcopus, cuius in martyrologio **xxix.** Iulij memoria. Erat Adamus origine, & stirpe Patricius Glaronensis, sed maiores, ob mutationem inibi Catholicæ religionis, Rapersvillam fortunas transtulerant. Pater Ioannes vxores duas habuit primam ex familia à Grut, alteram Blarcranam à Vvartense, vtramque nobilem, ex prima Adamum suscepit, & in Heremo educandum tradidit. Gregorius **xiii.** pontif. confirmavit, eo petente, omnia, & singula Bullis superiorum pontificum comprehensa, & decreta, maximè verò de verbo ad verbum ferme repetita Pij Papæ **iv.** Bulla, exceptis, si quæ Concilio Tridentino repugnare videbuntur. Apud S. Marcum pontificatus anno secundo. Postquam vero Adamus abdicauit suffectus **xvi.** kalend. Nouembris Vldaricus Veituillerus Rorschacensis Acronianus.

Ceterum sub Adamo, vt alias plerumq;, multa certe præclara in nostra Heremo evenere miracula, vnum extot, & tantis omittere haut queo de puella paralytica, quod vniuersam prope Europam peruasit, & admiratione sui impleuit. Id vero haut quaquam meis, sed ipsius Vdalrici tunc Administratoris, & Decani, & postea in abbazia successoris, verbis exprimam, qui præsens interfuit, remque totam non modo summa diligentia, & cura peruestigauit, sed veluti pertractauit. Eius igitur hæc verba sunt ex Epistola quam scripsit super toto miraculi huius successu ad Ioannem Franciscum Bonhomium tunc in Heluetia, & conterminis diocæsisbus Nuncium Apostolicum. *Operatus est dominus hoc anno **ci. d. lxxx.** die **x.** Aprilis, qua erat Dominica in Albis, in quadam virgine, qua iter ad hoc Sacellum beatissima virginis instituerat, tam insigne, ac illustre miraculum, vt merito ad gloriam DEI, eiusdemque calorum, & terra Regina honorem ab hæreticis vindicandum, simul & ad fidei Catholica confirmationem præ ceteris, qua in magno sunt numero, quantum potest, evulgari, ac toti mundo denunciari debeat. Id est huiusmodi. Vtznachium opidum est, & Comitatus apud Heluetios ad caput lacus Tigurini, inter Comitatum Tog-*

genburgen-

genburgensem, & dominia Vindeckense, & Marchiense sitū, sex circiter horas ab hoc nostro Monasterio distans, qui olim Comitum Vandelburgensium fuit, modo Suitensibus, & Glaronensibus paret. In illud opidum ante annos circiter septem puella quadam Anna nomine ad hospitale S. Antonij ibi enutrienda amore DEI deducta est, quam parentes adhuc infantem via publica expositam reliquerant. Vnde neque adhuc aut patriam, aut parentum nomina, genus, aut conditionem comperta habet. Erat hæc puella ab infantia adeo incuruis, & contortis pedibus, neruisque contractis, ut paullo grandior, non nisi complicatis genibus, & pedum digitorum extremitatibus serpendo summa tamen cum difficultate progressum facere posset, nec ullo se modo in pedes erigere, aut subsistere quiret. Ideoque, quantum memoria assequi potest, aliquot annos varijs locis Comitatum Turgouiensis, & Toggenburgensis, antequam ad dictas S. Antonij ades duceretur, de loco in locum ad Xenodochia, uti in eius generis hominum miserorum, & egentium vsurvenire solet, equis, aut curribus transuectabatur. Vixit vero postmodum annis septem in prænominata S. Antonij domo pie, ac honeste. Interim summo desiderio visendi DEIPARÆ MATRIS in Monasterio nostro Sacelli astuabat, loci celebritate ex multorum relatione cognita. Nec quietem prius reperit, quam quod in votis multo tempore habuerat, re ipsa, DEO iuvante, perficere constituit. Quamobrem, Anno, & Dominica prædictis, mane circa septimā diei horam, ceteris domesticis partim in templo ad diuina officia existētibus, partim alias absentibus, itineri se accingēs, nemine conscio, & sui instituti gnaro, per opidum versus Herremum DEIPARÆ repere cepit. Quod ubi seruus quidam forte animaduertit, & quo cuperet ex eius verbis intellexit, eam à proposito dehortatus est, ostensaq; rei, & itineris impossibilitate, si tamen pergere velit, se postero die fore comitem sponndit. Verum illa mora impatiens captum iter continuat, cumque iam per paludem opido adiacentem transiret ancilla prænominata Antoniana domus Elisabeth Guggelin nomine de ea re facta certior, puellam indignabūda secuta est.

domum

domum reductura, cui etiã casu interuenit eiusdẽ domus ser-
uus Henricus Sigelin dictus. Is una cum ancilla, eam domũ
reuocans, nãpareat minabatur curaturũ ne proximũ fluuium
traicere queat. Puella ad ista amarissimas profundere lacri-
mas, uehementer tristari, lamentari, atq; eiulari, adeo ut fle-
tibus commoti, victique eam ulterius progredi passi sint. Igi-
tur traiecto fluuio, Lindemago est nomen, qui ex Glaronen-
sibus alpibus ortus in lacum Tigurinum haut procul inde in-
cidit, ad antiquum castrum Grinouium peruenit, in eius-
dem fluminis ripa situm Svitensum ditionis. Eo in loco à
templo ex pago Tuggiano redeuntẽ obuium habuit cum u-
xore Barbara Ueberina Ioannem Ianserum Suitensem e-
iusdem castri praefectum, ac fluminis nauam. Hi, ut eius
pariter audiuerẽ propositum miserti puella eam difficilis, ac
aspera, longaque via, propria quoque miseria, atque impo-
tentia commones facientes frustra ut gradum reuocaret per-
suadere conati sunt. Perrexit itaque puella ulterius, & ab
illa hora leuamen aliquod & in progrediendo facilitatem
quandam persensit. Cumque iam fere ad medium paludis in-
ter castrum Grinouium, & pagum Tuggianum sita uenisset,
ecce subito ipsi nihil minus cogitanti, aut prouidenti, sit ob-
uius, uti uidebatur, uir honestus, longa, eaque alba ueste in-
dutus, non admodum promissa, at nigra barba. Contigit ve-
ro hoc circa horam duodecimam, qua Germanis in meridie
est, tãtumque puella itineris quinque horis summa diligentia,
& labore, difficultateque perfecerat, quantum quiuis integris
pedibus unius horae spacio facile metiri potest. Is uir, ubi
ad eam peruenit, primum salutat, deinde & de itinere ac ani-
mi uoto inquirit, tum manus, salutantis instar, ei porri-
gens in pedes erectam surgere iubet. Negat illa se hoc posse,
conata tamen erigere se, pedes contortos, & contractos nulla
ratione extendere ualet. Ibitum continuo uir praedictus la-
ua pedes corripit, dextroque palmo eos à genibus demulcet, de-
orsum uersus, & cum clara uoce protulisset, In nomine Pa-
tris, & Filij, & Spiritus sancti, eam manibus attollens è ter-
ra ita in pedes erexit, ut iam recta, ac integra, sanaque assa-

stens, ul-

stans, ultra commode incedere posset. Puella pro gaudio, & admiratione obstupescens ob rei nouitatem se cunctis mortalibus proceriorem existimabat. Nec tamen viri conditionem, aut nomē requirere ausa, sui veluti nescia lacrimabatur. Tandem tamen quo signo huius rei hominibus fides facienda sit interrogat. Ad ea vir DEI, haut dubie ex angelorum, aut sanctorū uumero aliquis, leuiter manu sua dextrā puella poplitē percutiens carnis quamdam insolitam circa genu mollitiem reliquit, ac si ossa in carnem conuersa fuissent, quam in hunc usque diem retinet, atque hoc rei gesta signum euident futurum adseuerauit. Post hæc omnia ei denuo manus porrigens & bene precatus, uale dixit, ac iter cæptum ad B. Virginem Heremiticam conficere iussit, simul DEVM sedulo colat, sacrosancti officio, præcipue Dominicis diebus, intersit serio admonuit, hac promissione uerba sua confirmans, fore, cum ita se gesserit, ut DEVM semper, dum uixerit, habeat propitiū, ac beatissimam eius matrem adiutricem, & advocatam experiat. His dictis, factisque puellam latam, sanam, & erectam, aliqualem tamen, propter neruorum subitam extensionem, in eundo difficultatem, quæ paulo post etiam omnino cessauit, persentientem à se dimisit. Cumque uix triginta passus progressa, se rursum, quo uir ille tenderet uisura, in tergum uertisset, ecce contra loci naturam, quippe qui amplius admodum est, & arboribus, domibusq;, aut aliis latibulis, quo se quis recipiat, latissime destitutus, cum nullibi apparere, sed prorsus suis ex oculis euanuisse animaduertit. Perrexit itaque agili, ac recto gressu, & illo adhuc ipso die, vastum, horridumque, & altissimum montem Ecelium ascendit, ibique in hospitio à latere Sacelli, quod S. MEGINRA DVS annos septem incoluit, sequentem noctem peregit, nemini indicans quid sibi euenisset, multa tamen uiatorum probra, & reprehensiones perpessa, quod ita breuibus, ac curtis uerbis impudicè contra quam honestam, & probam deceret uirginem, incederet. Vestis enim quæ, ea adhuc humi serpente, ad terram usque protensa erat, ubi erectum adepta est statum uix ad genua pertingebat. Ea deinde uestis memoria,

Rr

& mira-

Et miraculi causa ad Sacellum Virgineum appensa est. Sequenti die luna, qui erat xi. Aprilis, ad Heremum B. Virginis peruenit, et in officialis Monasterij Ioannis Zinggij nomine, domo, quod eum cognosceret, diuertit. Is vehementer admiratus eam propriis pedibus sustentari, quam prius non usu modo pedum, sed omnino pedibus ipsis carere crediderat, rem diligenter peruestigauit, et, ut gesta, ex ipsa percepit. Post hac puella, ut idem iusserat officialis, ad cœnobium se conferens, sacerdotibus ibidem degentibus se presentauit, confessioneque de peccatis P. F. Andrea Zuierio pœnitentiario loci facta, et sacra Synaxi accepta, totius historia seriem per octiduum ibidem permanens omnibus, tam incolis, quam aduenis, et peregrinis, clericis, et laicis quam plurimis, sepe, et uniformiter palam, et constanter declarauit, donec ad supradictum S. Antonij Xenodochium; sana, recta, integro cum pedum usu reuersa est, ubi etiam ab innumeris hominibus per multum tempus uisitata, semper sibi similis in uerbis hætenus est reperta. Hac summa est miraculi. Et quia factum adeo clarum, et manifestum est, ut nemo quantumuis hæresi infectus, quales sunt circum circa plurimi, illud inficiari, aut negare possit, sunt tamen multi, qui de modo, et circumstantiis multa mentiuntur. Aliqui monacho albis uestibus induto adscribunt, ignari hoc omnium mortalium vires longe superare, et non nisi à solo DEO natura auctore fieri posse. Mentuntur alij, et ut à DEO factum concedant, ideo tamen in itinere sanata, ne ad locum illum idololatricum, ut impie loquuntur, ipsa accederet, sed illo unde abierat, remigraret, contra ipsius puella claram, et publicam confessionem, que non tantum non domum redire, sed iter susceptum porro conficere ab eo viro DEI iussa sit. Neque tamen etiam defuerunt maioris impietatis rei, qui, ut olim Christi liberatoris nostri miracula Iudæi, cacodæmoni hoc quoque adscribere non sint reueriti, qui tamen easdem naturæ leges propria uirtute infringere, aut miracula naturæ vires excedentia patrare minime potest, et non modo ad pietatem incitare neminem solet, quin potius nihil non moueat quo homines ab ea abstrahat, et impe-

diat. Ex-

diat. *Excepta sunt hæc ex ore puella, & bona fide annotata à nobis F. Huldrico Vuituuilero Administratore, & Decano, ac toto Capitulo Canobij B. Virginis Maria in Heremo Heluetiorum, die festo S. Georgij martyris, eodem quo supra Anno Domini nostri M. D. LXXX. Hucusque Administrator noster, & paullo post Abbas Vldaticus. Sed vbi hanc epistolam recepit Nuncius Bonhomius rei nouitate, & miraculi magnitudine attonitus, mox erga DEIPARÆ cultum, & gloriam magis, magisque incensus subito calamus & ipse arripuit, & insigni latino poemate, qua erat vena, & facundia, totam hanc historiam commendauit, & ad Carolum Cardinalem Borromæum archiepiscopum Mediolanensem, quem modo inter sanctos magnis eius meritis colimus merito, & veneramur, transmisit, super alias, ea maxime de causa, quod paucis ante annis simul, cum non pauca Longobardica nobilitate hanc eandem nostram Heremu in voti, & religionis causa visitauerant, & in recenti memoria, & veluti ante oculos eius situm, & loci deuotionem habebant, & prædicare numquam satis poterant. Sed hanc ipsam etiam historiam prosa oratione, eodem ferme tempore, tradidit, publicauitque Antonius Guarnerus Canonicus Bergomensis, sparsaque eius est quam longissime, & latissime fama. Alia fuerunt, vt diximus, plura sub idem tempus, & deinceps, admiranda miracula, quæ volente Deo, alio in opere commodius explicabuntur. Eiusdem quando prope ingratitude est, qua vna omnia simul vitia comprehenduntur, DEI omnipotentis, & eius gloriosissimæ matris tam rara, & insolita erga genus humanum beneficia, & contra naturæ vim, cursumque opera non agnoscere & confiteri, quam agnita, & manifesta, quantum humana mens capit, non celebrare, & meritis laudibus attollere, atque propagare.*